ipsi discedens promiseram, hunc ut Celsitudini ipsiq debi-
ta cum reverentia meo nomine offeras, meq diligenter
commendes, vehementer te rogo. Doctor Rösleng hoc anno,
ipso die Georgii mortuus est. Quaeso rescribe mihi quam-
primum, et quae sit spes impetrandi sumptus, fac ut quam
citissime sciam, ut quid deinceps agendum sit provideam.
Metuo n., ne quis malevolus et virulentus sycophanta, temere
me, quod hoc tempore admodum est proclive, apud D. guber-
natores traduxit. Quod si vero aliquid impetravero, rogo
ut pecuniam illam, Dantiscum ad Dom: Albertum Gisonem,
Senatorii ordinis virum, vel ad Timotheum Gerstate
olim Illustriss. Principis Prussiae Secretarium, unà cum
literis Stetinum mittas, vel quocunq alio modo com-
modissime poteris, ad me perferri cures. Vale vir ex-
cellentissime, et me, ut hactenus, ita deinceps semper tua
benevolentia complecti perge, et mea studia tibi commen-
data habe. Rostochii Calend. Maij Anno MDLXIX.
Mitto T. E. aliquot scripta in hac Academia, recens edita,
quae ut boni consulas, rogo.

T. Excellentiae

Inscriptio.

Clarissimo Viro, eruditione, sapientiâ
et virtute praestanti, D. Matthiae Stoio,
Medicinae et Philosophiae Doctori
eximio et Professori in Academia Regio-
montana, D. praeceptori ac patrono suo reve-
renter colendo.

observantiss.

Georgius Schalesting.

S. D.

165) Ornatissimi Viri, pietate, eruditione ac virtute praestan-
tes, cum hic adolescens Johannes Greffe Elbingensis re-
versurus in patriam, literas à me posceret, non eram ad-
modum ad scribendum idoneus ob adversam valetudi-
nem, quam Aldeburgi tempore infoelicis colloquii affecta-
nullis adhuc medicamentis emendare potui. Ignosce-
tis igitur confusae scriptioni, quam extorsit sua fla-
gitatione hic Johannes petens per me sua studia

vobis commendari, cui ita gratificari volui, ut simul complecterer petitionem doctissimi Viri M. Hartvici Smedensteri, qui scriptura hunc Johannem paulo post Pentecosten una cum uxore, cupit ipse quoque mea intercessione sibi benevolentiam vestram et patrocinium quodcunque impetrari. Duorum igitur voluntati una epistola satisfacturus, cum tempore singulis seorsum scribendi destituar, reverenter oro, ut utrumque curam suscipiatis, et quia ipsos benevolentia semel complexi estis, quam grati praedicant, eandem etiam mea causa ubérius ipsis praestetis in iis negotiis, in quibus vestro consilio, ope, defensione indigebunt. Uterque beneficiorum vestrorum amplitudinem agnoscet et gratitudine, qua poterunt, compensare studebunt ex iis etiam cognosces statum Academiae huius, et quid in Germania geratur. Mitto et copiam epistolae, quam quidam doctus et fide dignus vir ex Posonio in Editu Ungariae ad D. Peucerum scripsit. Est ubique magna rerum confusio et status miserrimus. Ecclesia laceratur furiosis et implacabilibus docentium concertationibus. Concutitur eadem regnorum collusionibus, et tyrannorum saevitia. Terretur Turcorum et Moscorum imminentibus cervici ipsius irruptionibus. Illustrissimorum et potentissimorum ipsius Principium domus attenuantur, et ad paucissimos, alicubi etiam unicos heredes rediguntur. Est inter ipsos Principes diffidentia summa, conscientiae pius cura exigua, mutuae defensionis studium nullum, dum unusquisque suum consilium pro tutissimo habens, suas vires contra quamvis vim satis munitas credens, suis cupiditatibus, et sui . . . re indulgens, alios vel iniuste premendo irritat, vel superbe fastidiendo contemnit. Subditi ubique locorum, novorum onerum impositione et intolerabilium exactionum cumulatione exhausti, attenuantur, et ad mendicitatem ferme, aut certe ad artes acquirendae rei non lau-

dabiles adiguntur, et odiis adversus magistratus suos fla-
grare incipiunt, ut pro quorum in communitate preces pi-
as ad Deum fundere debebant et de suggesto ex verbo
Dei moverentur, iis tristia mala et interitum imprecentur,
non cogitantes prae indignatione se sibi ipsis, si vota even-
tum sortiantur, majores clades iis precibus attracturos
esse. In tali rerum statu, quae tranquillitas sperari aut
exspectari diuturna usquam queat? cum saepe in una
regione aliquid horum malorum sentiant, ita, ut si
effugere illa velis, in aliam migrando ditionem, seu
fumum vitans, in medias prunas incidisse videaris.
Haec scribo reverendi et doctissimi viri, mihi frater-
no amore cari, cum ex vestris literis et aliquorum
sermonibus cognoverim, vos isthic quoque videre talia
et experiri minus suavia, ut vos horter ad vestra
virtute et eruditione dignam tolerantiam, perseve-
rantiam in commisso sibi munere, et facientem manda-
tas operas cum studio bonae conscientiae, in qua sta-
tione etsi quaedam eveniant vobis aspera, tamen du-
bitare non debetis, Deum cum fiducia et imploratio-
ne ipsius praesentiae et defensionis fideliter laboran-
tibus pro virili vestra clementer adfuturum, et sua
benedictione vestras operas fortunaturum, ut
multa alioqui a malis hominibus oritura incom-
moda, vestris salutaribus consiliis et laboribus impe-
diantur et avertantur, et aliquod maneat certum bo-
norum, quae Deus isti regioni per laudatissimum Prin-
cipem Albertum seniorem Marchionem Brande-
burgensem et Ducem Borussiae, Dominum nostrum
clementissimum immensa bonitate largitus est, et
vos caeterosque pios collegas vestros servari, custo-
diri, et ad posteritatem propagari voluit, doctrinae
videlicet Evangelii puritatem, et optimarum
artium et linguarum Ecclesiae Dei necessariam
lucem. Facite igitur, ut in hoc munere, Deo
patriae et Ecclesiae, et optimi Principis piae
et bene educato filio fideliter et constanter

serviatis, et ab isto versu, ad hunc primum finem directo non patiamini vos ulla iniquitate abstrahi, aut in diversum agi. Bene ac foeliciter valete, et mei quoque per occasionem memores este apud eos, qui in gubernatione praecipui sunt, ut possim eo honorario tandem potiri, quod Illustrissimus Princeps, pater, filii loco, mihi ultro promisit ac spospondit, de quo anteà copiosius ad vos scripsi. Data festinato pridie nonas Maij, Anno M. D. LXIX.

Paulus Eberus pastor Ecclesiae Witebergensis.

Inscriptio.

Reverendis ac clarissimis Viris, pietate, eruditione, prudentia ac candore praestantibus Dominis, Doctori Vogt S. Theologiae et Matthiae Stoio, Artis Medicae ac Philosophiae, doctoribus ac professoribus in Academia Regiomontana, Dominis et amicis suis reverenter colendis.

166

S. D.

Doleo eas avelli à consensu atque conjunctione nostra Ecclesias patriae tuae et turbari tranquillitatem nostram artibus Flaccianorum. Nos, qui ad ferendas calumnias obduruimus . . . . . conscientia recte factorum insanos et mendaces clamores contemnimus, et in silentio ac certa spe praesenti et auxilii divini facimus operas nostras, quâ possumus fidelitate. Si tibi hostes nostri locum in patria non concesserint, huc te conferas. Non defuturus est tibi locus apud nos, modo me mature praemonueris. Metuo et Polonicas actiones quae eo dirigi videntur, ut accelerent regno fata quae alioquin impendere, imò instare videntur. Schmidensteduum, qui audio tributum te locum in Academia vestra tibi commendo. Si quae potes